

# DOMINICVS BELLISARIVS DE BELLIS

V.I.D. Dei, & Apostolicæ Sedis gratia electus Episcopus Melphictensis

*Venerabilibus Fratribus, ac dilectis in Christo filijs Capitulo, Clero, & Populo Melphictensi salutem in Domino sempiternam.*



INcomprehensibili Dei prouidentia, cuius iudicia quò plus abscondita, eò magis in semetipsa iustificata, & quibus ludens in Orbe terrarum in delicijs habet suscitare de terra inopes, ac inter Principes collocare, vt solium gloriæ teneant: En dilectissimi secundò venio ad vos; immò verius designatione Pontificia mittor; qui quondam Vicaria istic facultate integro vsus nouennio, nunc in Episcopum eligor animarum vestrarum. Placuit illi, qui in sui dispositione,

nec fallitur, nec falli poteſt, iacentem in tenebris humilitatem noſtram lumine claritatis ſuæ illuſtratam ſuper Candelabrum iſtius Sanctæ Eccleſiæ exponere, vt lucens omnibus vobis, illius ſupernæ Patriæ viam oſtendat, pro qua tantum, feliciſſima vndequaq; ſorte, creati, eandem, tanquam hoſpites, aduenæ, & peregrini in hoc ſæculo omni conatu continuò inquirere debemus. Accidit hoc nobis (ſcit Deus quia non mentimur) vſque adeò inopinatè, vt tunc factum fuerit quando, quod ab huiuſmodi curis omninò liberi eſſemus, vndique in Domino gaudebamus. Beneficentia ſiquidem, ac munificentia Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentij Papæ XII. ad munus ſui à ſecretis Cappellani euecti, quæ vox, quæ potuit lingua retexere quali afficiebamur ſpirituali, ac temporali lætitia recitandi alternatim cum Sanctitate ſua Diuinam Pſalmodiam? Videbamur, pro vt adhuc videmur nobis iam Cœleſtis Hymnodiæ capeſſiſſe pignora, & adhuc in via, dulciſſimæ illius, quæ datur in termino prægustare ſuauitatem, dum viciſſim cum Chriſto Domini, cum Altiſſimi Vicario benedicebamus Domino, ac laudes eius erant in ore noſtro. Quapropter remiſſo omninò cæteris miniſterijs nuncio, delatoque ſatis ſuperque contenti, iam putabamus ſedere in illa per Prophetam deſcripta plenitudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta. Cum ecce tibi ſub initium lapſi proximi Iunij ipſe in Terris Chriſti Vicarius, poſt perſolutas Deo de more preces, ante eius pedes in genua peruolutis; voce Maieſtatis intonuit deſignaſſe nos, ac deputaſſe ad iſtam Melphictenſis Eccleſiæ Cathedram, eorumque cætibus adſcripſiſſe, quos Sanctitas ſua non dedignatur fratres appellare, & in partem aſſumere vniuerſalis ſolicitudinis ſuæ; atque ita Paſtorale onus Angelicis humeris formidandum, vt collo meo imponerem, oris ſui oraculo denunciauit. Ad tanti momenti, ac ponderis Nuncium improuiſum (fateor infirmitatem meam) totis artubus contremui, ne dicam exhorrui, reuocatiſque vtcumque ſubito licuit, in aciem linguæ humillimis ſupplicationibus, nihil prætermiſi, qua lachrymis, qua ſuſpirijs Sanctiſſimum Dominum rogando, & obſecrando, vt ſineret à me tranſire Calicem iſtum: ſed fruſtra, ipſo ſemper immoto, & vocem, qua clamabam, & orationem, qua obſecrabam non exaudiente; donec non meæ, ſed Dei voluntati obſequens, illum bibere acquieui; humanitate tamen vndique obſiſtente. Parcat mihi Deus, ſi non hilarem me ſibi obtuli in vinea ſua Operarium. Reluctabat enim (dicamque meritò) animus, cuius ſpiritum ilicò timor, & tremor ebibit; cum è portu tranquillitatis in altitudinem maris me exturbatum animaduertens, memoria recolebam, quæ alias videram, audieram, ac manus noſtræ contrectauerunt de regimine animarum viginti ferè annorum ſpatio in munere Vicarij Generalis, & recogitabam quibus iterum, ac maioribus addicendus eram tempeſtatibus quibus laboribus, vigilijs, ac periculis. Et ſi enim iuxta Apoſtoli ſententiam bonum opus Epiſcopatus: at vnde mihi vt ſim irreprehenſibi-

c lis

lis ad mala declinanda : ad bona vero facienda ijs virtutibus, ac perfectione prǽditus, vt omnibus omnia factus omnes Christo lucrifacere valeam; ni velim, vt eorum ſanguis è manu mea requiratur? Et tamen hæc ſunt Epiſcopi neceſſaria munera, hoc ineluctabili onere regimen Eccleſiarum ſuſcipitur; tanto ponderi terga parat qui Sacerdotalibus Infulis ſupponit caput. Quæ cum ita ſint, heu quantum dolendum, ac maximè ſuperdolendum nobis fuiſſet, niſi miſericordiarum Pater, ac totius conſolationis Deus, cuius miſericordiæ non eſt numerus, cuius bonitatis infinitus eſt theſaurus, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, miſeram noſtræ imbecillitatis miſeratus conditionem apprehendiſſet manum noſtram, ac fortiter, & ſuauiter inſonans auribus cordis noſtri illud *Modicæ fidei quare dubitaſti?* interius edocendo, vt non ſimus in nobis ipſis fidentes: ſed omnia potius ſperaremus ab eo, qui potens eſt de tenebris lumen facere, ac de nihilo cuncta viſibilia, & inuiſibilia, vel vno tantum verbo creare, confortando, nobis animos addidiſſet.

Parati itaque ſemper in eo ſperare, imo in hac ſpe ſingulariter conſtituti; ecce iugum Domini ſubimus, iugum ſperantibus in eo verè ſuaue, & onus leue, quod vt ferre valeamus, ſat erit prouidere ſemper ipſum Dominum in coſpectu noſtro, qui ad opus miniſterij, ad quod aſſumpſit nos, aderit nobis à dextris, aderit in ſiniſtris, ne dum, vt non ruamus; ſed vt nec etiam commoueamur.

Saluete igitur dilectiſſimi, & òh quam ſpiritali gaudio replemur, ſalutantes eos, qui aures habent iam ad audiendam vocem ſermonis noſtri aſſuetas. Ita profectò eſt, ſalutat vos ille idem, quem amatorem non contemptibilem animarum veſtrarum (ni fallimur) experti, redamatum à vobis, non tam ſui merito, quam veſtra benignitate tot annis voluiſtis. Totus repletus conſolatione ſuperabundo gaudio; nec valens conhibere lætitiæ voluptatem, propriæ puſillitatis oblitus, mente extollor, dum mihi, qui ſum omnium peripſema, contingit modo poſſe ore pleno cum æterno Paſtore gloriari, & inclamare *Cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ.* Cognoſco vos omnes, & vſque adeo optimè noſco, vt verè tanquam oues proprias vocare poſſim nominatim: Oues omni pietate, ac bonitate refertas, audientes libenter vocem Paſtoris ſui, eique in omnibus tam libentiſſimè parentes, vt ad eas continendas intra virtutum paſcua, & ſi quæ vnquam errabunda aliò diuerterit, ad ſtatim in Caulam Domini reuocandam, non aliud opus, quàm ſimplex nutus, ſeu dulcis ſibilus Paſtoralis. Cognoſcunt me meæ, ac ſatis ſuperque me noſtis; cum etſi veluti ſub mercenarij titulo vobiſcum alias verſatus ſim; nunquam tamen, Dei gratia, vidi lupum venientem, & fugi. *Aurum, argentum, aut veſtem nullius concupiui, ſicut ipſi ſcitis: neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus.* Quinimmò quidquid ad veſtræ vtilitatis, ſeu ſpiritualis, ſeu temporalis augumentum conferre potuit, quan-

-tum potuimus,pro tenuitate nostra,promouere studuimus. Et tamen (da Domine bonorum omnium largitor, de cuius tantum munere venit omne datum optimum, & omne donum perfectum, vt implere valeamus, quæ in te sperantes promittimus) adhuc melioribus ominibus auspicandus erit secundus aduentus noster. Etenim in primo accessimus facturi iudicium, & iustitiam. In hoc secundo misericordia anteibit iudicium, & Iustitia, & Pax inuicem osculabuntur. Tunc solum Iudex; nunc Pater, & Pastor. Tunc ex officio virga aliquando opus fuit, & si ea fuerit spectata bonitas vestra, vt illam potius ostendere, quam exercere debuerimus: Nunc toti in spiritu lænitatis, ac mansuetudinis nihil intactum relinquemus, vt in bonitate, patientia, ac beneuolentia, quantum fieri poterit, à malo declinetis. Tunc Iustitia ante Pacem ambulauit; nunc verba pacis præcedent arma iustitiæ, fungentibus nobis (licet vndequaque immeritis) munere diligentis illius, ac pij Pastoris, cuius Sacrosancta Tridentina Synodus officium esse censuit; morbis ouium leuia primum adhibere fomenta; post vbi morbi grauitas ita postulet, ad acriora, & grauiora remedia descendere. Ad ambulandum in viam pacis Rex pacificus mittit nos, vt in eandem pacis, & prosperitatis viam vos dirigamus. Mandatum Domini ad Apostolos suos hoc est: *Quamcumque domum intraueritis; primum dicite pax huic domui*: Meritò igitur hanc ipsam pacem accedentes ad vos anunciamus vobis; modo per epistolam absentes corpore, non corde: Cum autem presentes erimus, corde, & corpore eandem factis adimplere curabimus. Pacem donec venimus, cum venerimus, cum steterimus annunciamus vobis, & in pace in id ipsum dormiemus, & requiescemus.

Sed vnde nobis hæc pax, cum militia sit vita hominis super terram? *Vbique mors* (clamat Gregorius) *vbique luctus, vbique desolatio, vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur*: Quomodo ergo inter tot angustias pacem nobis in hoc sæculo contingere poterit? Vera quidem sunt hæc; sed non inde, vt eam desperare potius, quam sperare debeamus. Ecce illam Apostolus nobis alta voce prædicat, & indicat dicens: *Gratia vobis, & Pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo*, qui solus tribuit, quam mundus dare non potest Pacem. Ipse enim solus, ac sola Pax cordis nostri, super omnia amabilis, in quo tantum datur nobis inuenire requiem; quia solus ipse pulchritudo verè ineffabilis, & fælicitas sempiterna. Vt igitur hanc pacem teneamus, ac omnia pariter bona cum ea adijciantur nobis, liceat cum Samuele annunciante senioribus Ciuitatis Pacificum ingressum suum vobis dicere: *Ad immolandum Domino veni, sanctificamini, & venite mecum*. Venite mecum Venerabiles Sacerdotes, & quicumque estis de ordine, & Cætu Ecclesiastico, quos vti seniores Ecclesiæ nostræ, & Gregis Christi illustriorem portionem primum alloquimur. Sacrificium nostrum, quod ad immolandum

Do-

Domino venimus, ponendo etiam, vbi oportuerit, pro Ouibus nostris animam nostram, tunc maximè pingitre fiet, eritque apud Altissimum acceptabile, cum cogitatione, verbo, opere, & spiritu cooperatores eritis corporis, & sanguinis Domini: Cum in sortem Domini vocati, casti, nitidi, sobrij, pij, abijcientes omnem impietatem, & Sæcularia desideria, omnia vt stercora arbitrabimini, vt Christum lucrifaciatis: Cum nemini dantes offensionem aliquam, vt non vituperetur ministerium nostrum, ita mores vestros componetis, vt ad normam generalis edicti alias pro isto Clero per Sac. Congregationẽ approbati, ac seruari mandati circa habitus, & tonsuræ delationem, ac formam, atque Sacrosancti Tridentini Concilij Sanctissimas Constitutiones, habitu, gestu, incessu, sermone, alijsque omnibus rebus nil nisi graue, moderatum, ac Religione plenum præseferetis, sicut decet ministros, ac dispensatores gratiæ Dei, in quos reliqui, tanquam in speculum, oculos conijcientes, ex vobis sumant, quod imitentur. Sanctificamini, & venite mecum reliqui omnes quotquot estis vtriusque sexus fideles curæ nostræ Pastorali commissi, ad quos sermonem conuertimus, ac mundati ab omnibus inquinamentis, excussoque ab animabus vestris quocumque delictorum puluere; & euntes de virtute, in virtutem, sedulò curate, vt possitis etiam vos vasa Domini munda inueniri. Declinantes à malo, ac facientes bonum, & vndique repleti sanctissimis Charismatibus, satagite, vt per bona opera vestra certam vestram vocationem facientes, valeatis, & vos tanquam hostiæ viuentes, ac Deo placentes ita nobiscum ambulare cum consensu in domo Dei, vt vnanimes, vno ore, ac vnico spiritu honorificemus in sacrificijs nostris Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum, vnicam tantum in tribus personis Deitatem, de cuius lumine, ac Numine Pax, quæ exuperat omnem sensum, descendat in cordibus vestris.

De cætero dilectissimi, liceat nobis claudere vota nostra, vnde initium fecerunt illa Machabeorum ad Fratres salutem eis præcantes, ac Pacem bonam: *Benefaciat vobis Deus, & det vobis Cor omnibus, vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volenti. Adaperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat Pacem. Exaudiat orationes vestras, & reconcilietur vobis, nec vos deserat in tempore malo.* Quæ vt ad vota respondeant, Ecce nunc hic sumus orantes cum Apostolo, vt charitas vestra magis, ac magis abundet in scientia, & in omni bonitate, vt probetis potiora, & sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi, repleti fructibus iustitiæ per Iesum Christum in gloriam, & laudem Dei: Vt sit conuersatio vestra in sanctitate, & iustitia omnibus diebus vitæ vestræ, vt cum apparuerit Princeps Pastorum iudicaturus viuos, & mortuos, possimus occurrere ei cum exultatione portantes vos manipulos nostros; liceatque humili Antistiti vestro, cui commisit Dominus partem hæreditatis suæ, cum ingenti gaudio dicere: *Ecce quos dedisti mihi, non*

*per-*


*perdidi ex eis quemquam*, ac maiori lætitia, nos audire: *Euge serue bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui*; & vos: *Venite Benedicti Patris mei, percipite Regnum vobis paratum ab origine Mundi*: quod ipse nobis per gratiam suam præstare dignetur, qui est super omnia Benedictus in sæcula Amen.

Datum Romæ die propositionis Nostræ 23. Ianuarij 1696.

ROMÆ, Typis Reuerendæ Cameræ Apostolicæ 1696.

---

*Superiorum permissu.*



# Indice

1696

Epla Pastoralis

Epi Melphicten